

pitularia Statuta, Ordinationes et Decreta Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Tridentinae praesertim Synodi praescriptis consentanea, quae de Queretaro Praesulis iudicio subdenda sint, et nonnisi post eius approbationem, roboratam legis vim obtineant. Caeterum, pro Episcopi de Queretaro residentiali habitatione, proque Curia et Cancellaria, jubemus ut illico comparentur, opportunaque suppellectili decenter instructae adjudicentur illi Episcopali mensae tot aedes, quot in praefatos usus idoneae et sufficientes censeantur, ipsi tamen Cathedrali Ecclesiae quoad fieri poterit proximiores. Maxime dein interest ut Adolescentes in sortem Domini vocati, queant tanquam novellae Olivarum plantationes continuo ac solerter educari et institui, bonorum exinde operum uberes fructus per totam Dioecesim prolaturi. Hinc simili Auctoritate Apostolica praecipimus, vel illud Collegium quod sub invocatione Sanctorum Ignatii de Loyola et Francisci Xaverii jam in eadem Civitate de Queretaro existit, a Societate Jesu fundatum, probeque ac fructuose olim moderatum, sin autem aliud satis idoneum aedificium sollicite comparandum, in Seminarium instituat Ecclesiasticum, quod juxta canonicas formas et leges, ac Concilii Tridentini praescripta, observanter et accurate ex principali et libera Episcopi Dioecesanum omnimoda providentia, ac superiori in omnibus Auctoritate gubernetur. Jam vero cum singulae novi hujus Episcopatus dotationes, in bonis stabilibus, prout Sacri Canones praescribunt, fundari nunc haud valeant, Hinc habita instantium necessitatum et circumstantiarum ratione, ac declarando quod favore tum Episcopalis Mensae, tum Cathedralis Ecclesiae, ejusque Capituli et Cleri, tum aliarum quoque minorum Ecclesiarum, et quorumcumque piorum Institutorum, bona etiam stabilia legari, acquiri, plenoque demum cum dominio possideri, admi-

nistrari, et vindicari libere valideque queant, pari Apostolica Auctoritate statuimus, ut decimarum solutione singulis Dioecesanis dotationibus satisfiat, ita nempe, ut singulae ipsarum Decimarum collectae in unica communi Massa primitus quoquo anno coacerventur, ac detractis prius expensis pro earum perceptione, et scutatis Sex pro quolibet Centeno, Fabricae et Sacrario Cathedralis Ecclesiae quotannis tribuendis, atque in utriusque opportunos usus impendendis, Medietas Decimarum in duas aequas partes divisa, una Episcopo et altera Capitulo permanentiter solvatur, et quae Capitulo contigerit in septuaginta tres portiones subdividatur, quarum tredecim Archidiacono, et decem unicuique ex sex Canonicis tradatur. Altera vero Medietas, novem partes adhuc efficiet, ex quibus tres Parochis Dioecesis, proportionali nimirum habita ratione decimalium reddituum, quos ab unaquaque Paroecia in communem Massam pervenisse, Episcopo innotuerit; altera autem cum dimidia Fabricis et Sacrariis Ecclesiarum Parochialium, et item alia cum dimidia Hospitalibus domibus, aliisque piis Institutis Dioecesis, Ecclesiasticae tamen Auctoritati subjectis; tandem, duae Seminario Dioecetano, ac reliqua una Beneficiariis seu Capellanis aut Mansionariis Cathedralis assignentur. Quae quidem postrema in quatuordecim aequales particulas subdividatur, ex quibus tres Secretario Capitulari, et aliae tres Magistro Camentium, necnon duae Caeremoniarum Magistro, ac aliae duae Punctatori, et duae item Secundo Caeremoniarum Magistro, ac reliquae duae Secundo Punctatori impertiantur. Cauto caeteroquin ut e tertia singularum Praebendarum quae pro Archidiacono, et Canonicis, necnon pro Beneficiariis seu Capellanis aut Mansionariis ita sunt constitutae, quotannis efformetur Massa, singulatim pro diebus et horis in quotidianas distributiones tribuenda iis qui Divinis Officiis

rite diligenterque interfuerint. Praeterea enuntiatam Episcopalem Ecclesiam de Queretaro in Suffraganeam Archiepiscopatus Mexicani, cum omnibus quibusque juribus, honoribus, praerogativis, gratiis, et indulgentiis, quae pariter caeterae Suffraganae Ecclesiae Metropolitanarum in Mexicana Republica, ac vicissim solent de jure praesefere legitimoque in usu tueri, dicta Apostolica Auctoritate subjicimus, ac Canonicam ejusdem de Queretaro Ecclesiae Taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione quoties Antistes illi praeficiendus fuerit, in aureis florenis de Camera Centum quinquaginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte statuimus, sicque in Libris Camerae Apostolicae Sacrae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii inscribi et observari mandamus. Et insuper Nobis et Apostolicae Sedi facultatem reservamus, novam ipsam Dioecesim de Queretaro iterum aptiusque circumscribendi, quando et quomodocumque visum fuerit in Domino magis expedire. Praesentes vero Litteras de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, aliove quocumque vitio seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quantumvis juridico et substantiali, etiam ex eo quod omnes et singuli in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere putantes aut praetendentes, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanarunt minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quocumque alio capite quantumvis legitimo, pio, privilegiato ac speciali nota digno, impugnari, invalidari, retardari, infringi aut irritari, seu ad viam et terminos juris reduci, aut adversus illas oris apercutionem seu aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae seu justitiae remedium, etiam ex causa laesionis quan-

tumvis enormis et enormissimae, vel cujuscumque praejudicii impetrari, ac etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, per quoscumque Romanos Pontifices Successores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum, acceptari ac in judicio et extra illud allegari, deduci aut alias illo quomodolibet uti non posse; quin imo omnia et singula superius disposita semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus, minime comprehendi sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessa esse et fore. Sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaque Sedis Nuntios, ac alios quoscumque quavis Auctoritate, potestate, praerogativa, honore et praeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et defini debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Quocirca Venerabili Fratri Nostro Clementi Munguia Antistiti Mechoacanensi per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ad executionem praemissorum omnium procedat, opportunas et necessarias Ei tribuendo facultates, quibus Is alteram quoque personam, Ecclesiastica tamen dignitate praestantem, subdelegare valeat, ita quod Idem

Clemens Antistes ejusve Subdelegatus ea cuncta possit ordinare, disponere, declarare ac etiam definitive, appellatione super quavis quaestione, si qua forsan inciderit, penitus remota, decernere quae opportuerint, ad totum hoc negotium probe feliciterque perficiendum. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de dismembrationibus ad partes committendis, vocatis quorum interest, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, dictaeque Mexicanae Ecclesiae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis Decretis etiam Motu, Scientia et potestatis plenitudine paribus, itemque Consistorialiter, seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenoris hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore

permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ad effectum praesentium, et validitatis omnium praemissorum, hac vice dumtaxat Motu, Scientia et potestatis plenitudine similibus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, et qualibet alia dictae Sedis Apostolicae indulgentia, speciali vel generali cujuscumque tenoris existat, per quam ipsis praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri vel differri valeat, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in ipsis Litteris mentio specialis. Volumus autem quod dictus Clemens Antistes, ejusve Subdelegatus, sex infra menses ab expleta earumdem praesentium exsequutione, ad hanc Sanctam Sedem transmittere teneatur exemplar authentica forma exaratum, quorumvis Decretorum in exsequutione ipsa ferendorum, ut hoc etiam in archivo Congregationis ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Consistorialibus negotiis praepositae ad Perpetuam Rei Memoriam et normam conservetur. Volumus etiam quod praesentium Litterarum Transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis et sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, suppletionis, dismembrationis, exemptionis, erectionis, institutionis, adjudicationis, injunctionis, concessionis, indulti, jussi, praecepti, declarationis, statuti, subjectionis, decreti, commissionis, mandati, derogationis, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se nove-

rit incursum — Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Secundo — Septimo Kalendas Februarii — Pontificatus Nostri Anno Decimo Septimo."

"*Apographum istud excerptum, vigore Rescripti, a Libro III anni VII Pontificatus Pii PP. IX, concordat cum originale existente in Archivio Lateranense. In quorum fidem &c. — Ex Aedibus Datariae Apostolicae, Nono Kalendas Martii anno MDCCCLXXXVIII — CAROLUS SCOCLZI — Pro Custos Regestri Bullarum. — Al calce un sello que dice: "Regest. Literarum Apostolicarum."*

II

Acta ejecutoria de la Bula preinserta.

NOS Ergo Josephus Maria Diez de Sollano

Leonensis Antistes, omnia et singula quae in venerabilibus supra dictis Litteris Apostolicis continentur fidelissima cura ad exitum perducere, et executioni mandare toto animo cupientes, sequentia ordinamus ac decernimus.

I

Erigimus et Apostolica Auctoritate canonice institimus Queretarensis Sanctam Ecclesiam, Novamque Dioecesim in Mexicana ditione juxta tenorem et formam Apostolicarum Literarum de verbo ad ver-

bum supra relatarum, cum omnibus honoribus, juri-
bus ac privilegiis, quae caeterae Mexicanarum Pro-
vinciarum Ecclesiae Suffraganeae hactenus fruuntur
et de communi usu utuntur.

II

Singulae Paroeciae quae in tota Provincia de Que-
retaro, itemque in contermino de Sierra Gorda, Terri-
torio de Iturbide nuncupato, continentur; nempe us-
que ad eos terminos quibus Potosiensem, Leonensem,
Mechoacanensem Dioeceses tangit et non amplius, vi-
delicet: Santiago de Queretaro simulque la Divina
Pastora, Santa Ana, cui annexa est el Espiritu Santo,
San Sebastian, San Juan del Rio, Tequisquiapan,
Amealco, Cadereyta, Landa, Mineral del Doctor, To-
limán, Tolimanejo, Santa Rosa, San José Iturbide,
alias Casas Viejas, Xichú de Naturales, Xichú Mine-
ral, Pueblito, Escanela, San Pedro Agua tibia, alias
La Cañada, et Jalpan, cum suis Vicariis, populis, pa-
gis et caeteris annexis prout usque nunc existunt, nec-
non Misiones de Arnedo et de las Palmas, quae ad
Archidioecesim Mexicanam pertinebant, disjunctae
et in posterum dismembratae ex antiqua Dioecesi, et
ex his omnibus Nova Queretarensis Dioecesis consti-
tuenda: quae Dioecesis ex nunc rite et rate a Nobis
Apostolica Auctoritate fulti, separata, segregata ac
penitus libera sit, et ita in posterum permaneat, ab
antiqua Archidioecesi Mexicana et a jurisdictione
dioecesana illius Archiepiscopi, et subjecta omnino
juxta Sacrorum Canonum statuta, Illustrissimo D. D.
Bernardo Gárate Episcopo ad illam regendam cano-
nice electo, ejusque Successoribus.

III

Proinde, vi nostrae Apostolicae subdelegationis,
mandamus, ut Dioecesis Queretarensis ita constituta,